Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 581
Quelle:
Copyright:

nerit Codex, liquet e clausula miniata: *Iste liber est emptus ad expensas magistri Cholomanni In probstorf*, cujus abrasor non aliud conatus sui pretium tulit, quam ut curiosi lectoris in indagandis literarum vestigiis patientiam exerceret.

CCXCVIII.

R. 2279 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 122. f. per duas columnas luculente scriptus, rubricis distinctus, et quondam *Monasterij Sancte Dorothee in wienna*, quod Collegium Canonicor. Reg. S. *Aug.* fuit, continet *Explanationem S. Hieronymi in Jeremiam Prophetam.* Initium Prologi est: *Post explanationem duodecim prophetarum esaye. danielis. et ezechibelis* &c. Sequuntur omnes VI. *Libri* cum suis ad *Eusebium* Praeloquiis, ut Edit. *Vallars.* T. IV. *col.* 833. textu Prophetae literis majusculis exarato, correctione tamen multum infra Edita.

II. *fol.* 90. p. 2. continuo *Expositio beati Jeronimi in lamentaciones Jeremie.* Libris III. quorum I. *de primo et secundo Alphabeto*, II. *de tertio Alphabeto*, III. *de quarto Alphabeto*, quibus accedit *Oratio Jeremie* et demum Clausula miniata: *Explicit liber commentariorum beati Jeronimi in ieremiam.* Serione haec? Certe; si *Longii Bibliothecam sacram* audis, quae T. II. *Paris.* 1723. p. 1122. inter *Scriptores in Threnos* refert *Hieronymum*, et p. 776. dum Editionem *Martianaeam* recenset, *Tomo* III. adsignat *Commentarios in* quinque *Prophetas Majores et in Threnos Hieremiae.* At enim frustra tu Tomum illum adieris. Nullus in *Lamentationes* scripsit *Hieronymus*, qui curis, valetudine, senio praepeditus ne de ipsa quidem Prophetia plus ad nos transmisit, quam XXXII. priorum *Capitum* Explanationem. Quo igitur nostram referemus? Ne te teneam, sume in manus *Tomum IV. Opp. Hrabani Mauri* edit. *Colon.* 1626. f. eamque reperies *Commentariorum* ejus *in Hieremiam* postremos III. *Libros* XVIII. XIX. et XX. a pag. 136. constituentem. Licet vero imposturam suspicari. Initium Praefationis in Editis *B. Hieronymi* meminit. Multis igitur lineis omissis Librarius noster ibi demum orsus est: *Habes in lamentacionibus ieremie quatuor alphabeta* &c. Ita et sub finem in iis verbis stitit: *In qua uniuersitate nimirum et ipsi iudei conprehenduntur*; ratus fortasse multa illa, quae in Editis sequuntur, recentiora *Hrabani* tempora nimium redolere.

CCXCIX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 258. f. maj. paene quadro per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, coloribus illustratus, et quondam, ut praescribitur, *Monasterij Sancte dorothee vienne*, titulum habet: *Incipit expositio sancti Jeronimi presbiteri in ezechielem prophetam.* Praeit Prologus ad *Eustochium* R. 2277